

DE CAPITULO GENERALI AN. 1802
NUCERIAE PAGANORUM (PAGANI) CELEBRATO

Tres quaestiones selectae tractantur.

Primum obiectio contra generalem indolem huius Capituli refutatur. Deinde indagatur, an s. Clemens ius huic Capitulo assistendi habuerit; conclusio est: negativè. Demum inquiritur, qualem auctoritatem habeant duae pagellae, quae in libro, cui titulus *Acta integra Capitulorum generalium CssR.* primo loco tamquam acta Capituli inscribuntur (1). Concluditur: auctoritatem officialem nullam, auctoritatem practicam minimam habent.

I. Obiectio contra generalem indolem huius Capituli refutatur.

Licet communiter a nostris admittatur, hoc Capitulum generale fuisse et illud inter Capitula generalia enumeretur (2), difficultas quaedam contra illius generalitatem ex ipsis literis convocationis dd. 20 Ianuarii 1802 (3) moveri potest, nempe:

In iisdem Rector Maior, R. mus Pater P.P. Blasucci, testatur se hanc convocationem dirigere ad omnes domus nostrae Congregationis existentes in Regno Neapolitano, in Statu Pontificio et in Sicilia, mentione non facta de Transalpinis, qui ius Capitulo assistendi per rectorem et vocalem domus Varsaviensis (Warszawa) habebant. E quibus sequitur, Capitulum destinatum fuisse Cisalpinis, non vero Transalpinis, ac proinde non generale sed regionale fuisse.

Primum observetur, Rectorem Maiorem in iisdem literis convocationis hoc Capitulum disertis verbis *generale* vocare, quod tunc secundum Regulam locum habere deberet, cum post Capitulum an. 1793 novem anni praeteriissent. - Verum quidem est Transalpinos non nominari, ipsi vero non excluduntur.

Quidquid autem de literis convocationis allegatis sit, Transalpini debito modo ad Capitulum convocati sunt. Die enim 8 mensis Ianuarii 1802 Rector Maior ad s. Clementem epistolam misit, in qua de Capitulo generali proximo futuro agens scribit:

« ...Cum Capitulum generale, quolibet novennio a Regula praescriptum, sit in primo die mensis Iunii currentis anni 1802 in hoc Collegio S. Michaelis Nuceriae Paganorum... celebrandum, cumque pro illius validitate requiratur, ut omnibus et singulis nostrae Congregationis sacerdotibus professis, sive praesentes sint sive absentes, qui de iure et ex Regulae praescripto ius habent suffragii, literis convocatoriis intimetur, ut quilibet rector cum socio, si legitime impeditus non fuerit, interesse valeat - Hinc est, quod praesentibus literis nostro satisfacere muneri volentes, vobis omnibus, qui tam dissitas incolatis regiones, ... praedictum Capitulum generale die et loco supra designa-

(1) *Acta integra Capitulorum generalium CssR.* ab anno 1749 usque ad annum 1894 celebratorum; Romae 1899, 191-192.

(2) Cfr v.gr. *Catalogus CssR.* 1948; Roma 1948, 1.

(3) Cfr *Acta integra Capitulorum generalium CssR.* 189.

tis celebrandum intimamus et notum facimus. Volumus autem, ut sine mora notificetis nobis harum literarum acceptionem, earumque toti communitati simul collectae lectionem per superiore factam. Quodsi nemini vestrum accessus ad Capitulum permittitur, pro legitime impeditis excusabimini » (4).

Die 31 Martii 1802 s. Clemens respondit :

« Reperi Epistolam Rmae Paternitatis Tuae, indicationem Capituli generalis proximo mense Iunii habendi continentem. Perlegi illam communitati nostrae eadem die 18 Martii, qua mihi reddita fuit. Utcumque desiderio quam maximo tenemur eidem Capitulo assistendi, ... tamen quoniam a tali susceptione edicto regio prohibemur, pro legitime impeditis censi debemus, et consequenter a comparitione in Capitulo merito excusandi sumus » (5).

E dictis patet, Capitulum an. 1802 generale fuisse, nec obiectioni motae ullam vim inesse.

Sed fortasse quaeratur quare Rector Maior Cisalpinos et Transalpinos non simul sed separatim convocaverit. Causam huius inusitati modi agendi non invenimus; hanc vero supponimus: Rector Maior ita egit, ne Rex Neapolitanus offenderetur. Norunt omnes, in curia regali tunc opinionem viguisse, Congregationem nostram pro solo Regno Neapolitano institutam esse; timendum igitur erat, ne rex aegre ferret, in literis convocationis, quae ipsum latere non possent, non tantum Cisalpinos, sed etiam Transalpinos invitari. Eodem modo agendi usus est P. Panzuti, Vicarius generalis post abdicacionem Rev.mi P. is Cogle, cum convocationem ad Capitulum generale an. 1832 primum mitteret die 30 Octobris 1831 « ad omnes Patres et Fratres » Congregationis (6), die vero 8 Novembris 1831 ad Transalpinos cum inscriptione: « Omnibus et singulis ... [Congregationis Sanctissimi Redemptoris] in regionibus Ditionis Austriacae, nec non apud Helvetios, atque Ullyssipone degentibus » (7).

Quod autem P. Blasucci in literis convocationis dd. 29 Ianuarii 1802 Patres in Statu Pontificio, licet extra Regnum Neapolitanum degentes, nominavit, difficultatem movere non potuit, quia illi Patres etiam Capitulo generali an. 1793 interfuerant (8).

II. Indagatur, an s. Clemens ius huic Capitulo assistendi habuerit.

Sunt, qui ei hoc ius tribuant, inter quos compilerator catalogi Csr. an. 1948 asserens: « Capitulum 1802. - P. Hofbauer non assistit Capitulo, quamquam illud ius habebat. Cfr: *Acta integra Capitulorum* » (9). De valore fontis allegati statim in parte III dicemus.

Eorum vero opinio non fundata videtur. De hac materia haec accipiantur.

Regula a Benedicto Papa XIV approbata, quae quoad hoc punctum tempore s. Clementis adhuc vigeat, ius Capitulo generali assistendi praeter curiam generalitiam (i.e. Rectorem Maiorem, consultores generales et procuratorem generalem) solis rectori et vocali uniuscuiusque domus tribuit (10).

(4) *Monumenta Hofbaueriana* VIII; Toruniae 1936, 96-97.

(5) *Monumenta Hofbaueriana* VIII; Toruniae 1936, 97.

(6) Cfr *Acta integra Capitulorum generalium Csr.* 277, 280.

(7) *Ibidem* 280, 283.

(8) *Ibidem* 85.

(9) Cfr *Catalogus Csr.* 1948; Romae 1948, III2.

(10) Cfr *Litterae Apostolicae Ad Pastoralis Dignitatis fastigium* dd. 25 Februarii 1749: *Constitutiones et Regulae Csr.*; Romae 1936, 26.

S. Clemens Vicarius generalis Transalpinus erat, primum nominatus a P.e Francisco de Paola, die 31 Maii 1788 (11), iterum nominatus a P.e Blasucci Rectore Maiore an. 1793 (12). Sed Rector non erat. Rector domus Varsaviensis ab an. 1796 ad an. 1807 erat P. Thaddeus Hübl. Exstat status personalis communitalis Varsaviensis dd. 15 Februarii 1802, id est aliquot mensibus ante Capitulum generale; in eo « P. Joannes Clemens M^a Hoffbauer » vocatur « Vicarius generalis », et « P. Thaddeus Hübl Rector domus » (13).

Verum quidem est s. Clementem die 16 Octobris 1802 alibi vocatum esse « Vicarium generalem ac domus Varsaviensis Rectorem » sed ita vocatur in literis testimonialibus et commendatitiis pro itinere, quod facturus erat (14). Status vero personalis maiore auctoritate gaudet.

E quibus concluditur s. Clementem ius Capitulo generali assistendi non habuisse.

Fortasse obiicitur: S. Clemens a Capitulo generali an. 1793 facultatem accepit, ratione muneris sui, deinceps Capitulo generali interveniendi. In eodem enim Capitulo statutum est: « Vicarii provinciales tempore Capituli generalis ... munere suo fungentes, ius habebunt in eodem votum dandi » (15). Sed hoc statutum spectat ad Vicarios provinciales a Capitulo electos, nempe P.em Landi pro Statu Pontificio et P.em Lupoli pro Sicilia (16). S. Clemens vero non erat Vicarius provincialis, sed Vicarius generalis Transalpinorum. Recte vero dubitatur, num hoc statutum executioni datum sit, nam in actis Capituli generalis an. 1802 de illis Vicariis sermo non est. Praeterea observetur circa hoc statutum confusionem quandam existisse, ut patet ex epistola P.is Cardone, secretarii Capituli, ad s. Clementem dd. 5 Aprilis 1793, durante Capitulo, quam subsignat « Le Secrétaire du Chapitre général ». In ipsa legitur: « Je vous annonce le résultat des délibérations de notre Chapitre général, qui vient de se tenir ... et dans lequel on a nommé ... le Père ... Joseph Landi vicaire des maisons de l'État Pontifical, de Varsovie, ainsi que de nos maisons au delà de la baie de Mammertes » (17). Omittentes quaestionem, quid ultima verba significant, animadvertimus P.em Landi non recte vocari Vicarium provincialem pro Varavia; hoc enim non concordat cum statuto modo memorato neque cum munere Vicarii generalis Transalpini.

Iam videamus, quomodo haec materia occasione Capitulorum generalium considerata sit.

In Capitulo generali an. 1793 de quaestione nostra sermo non est propter dispensationem a Pio Papa VI die 7 Decembris 1792 concessam: Capitulum celebratur « cum dispensatione intimationis et interventus Vocalium domus Varsaviensis » (18). Huic Capitulo P. Blasucci quidem interfuit non ut rector,

(11) *Monumenta Hofbaueriana* VIII: 13. - J. HOFER, *Der Heilige Klemens Maria Hofbauer*; Freiburg/Brsg. 1921, 72.

(12) A. INNERKOPFER, *Der hl. Klemens Maria Hofbauer*; Regensburg-Rom 1913, 102. — J. VAN RIJCKEVORSEL, *Catalogus C.S.S.R. Transalpinæ* I; Ruraemundae 1881, II, 13.

(13) *Monumenta Hofbaueriana* II; Toruniae 1929, 41-42.

(14) *Monumenta Hofbaueriana* II; Toruniae 1929, 42.

(15) *Acta integra Capitulorum generalium C.S.S.R.* 118 n. 306.

(16) *Acta integra Capitulorum generalium C.S.S.R.* 105 n. 276.

(17) *Monumenta Hofbaueriana* VIII 32-33.

(18) *Acta integra Capitulorum generalium C.S.S.R.* 86.

neque ut vocalis, sed ut Delegatus pro Sicilia (19), vi decreti eiusdem Pontificis: Capitulum celebretur « cum interventu, etiam cum iure suffragii, Delegati domorum Siciliae » (20).

Quoad Capitulum generale an. 1802 P. A. Innerkofler asserit, P. em Blasucci s. Clementem die 8 Ianuarii 1802 invitasse, ut ad Capitulum veniret (21). Sed haec assertio vera non est. Die 8 Ian. 1802 P. Blasucci ad s. Clementem epistolam misit, qua Transalpinos ius habentes ad Capitulum convocat, nempe quemlibet rectorem cum socio (22).

Ut haec inquisitio de iure Vicarii generalis Transalpini magis illustretur, addimus ea quae in Capitulo generali an. 1824 facta sunt.

Lecta est epistola Ven. P. is Passerat, Vicarii generalis Transalpini, qua Transalpinorum impossibilitas ad Capitulum veniendi declaratur. Deinde alia eiusdem epistola praelecta est, qua desiderium commune exprimitur, ut P. Springer, qui tunc in Italia degebat, tot procuratores designaret, quot Patres Transalpini ius haberent Capitulo assistendi. Demum epistola tractata est, qua P. Springer pro P. e Passerat P. em Tortorelli designat et pro rectore et vocali Viennae P. em Izzo et P. em De Sapia.

Capitulum vero decrevit: « Quod attinet ad procuratorem pro P. e Passerat, petitioni acquiescere non possumus, quia Regula ius Capitulo assistendi solis rectoribus et vocalibus tribuit. Propter eandem causam procuratura pro aliis impossibilis est » (23).

Epistola P. is Springer supra memorata in extenso invenitur in Appendice ad Acta Capituli (24). In eadem inter alia petitur, « ut stabiliatur an Vicariis Austriacis votum in Capitulo generali competat », et pro benigna responsione causam addit: « prudentiae consonum videtur, ne in ulla re rectoribus localibus postponantur » (25).

Ad propositum P. is Springer circa praesentiam Vicarii generalis Transalpini in Capitulo generali Capitulum in actis nihil decrevit, sed rem reliquit decisioni Rectoris Maioris, « consultis Sancta Sede et S. Congregatione Episcoporum et Regularium ». Rev. mus P. Coelestinus Cogle, Rector Maior, in epistola circulari dd. 28 Iulii 1824 illud referens addit, se illud executurum esse, cum aliae causae urgentiores id permittant (26). Nescimus an recursus ad Sanctam Sedem factus sit; in literis autem convocationis ad Capitulum generale an. 1832 sermo tantum est de rectoribus et vocalibus ut ius habentibus (27).

Demum an. 1832 P. Passerat pro Patribus Kosmaček et Von Held (rectore et vocali domus Viennensis) ab Imperatore veniam petit, ut se ad Capitulum generale conferant; addit se etiam invitatum esse, sed invitationi respondere non posse (28). Putamus invitationem P. Passerat non fuisse invitationem ad Capitulum cum iure votum dandi, tum quia in literis convocationis sermo

(19) *Ibidem* 90.

(20) *Ibidem* 86.

(21) A. INNERKOFLE, *Der hl. Klemens Maria Hofbauer*; Regensburg-Rom 1913, 205.

(22) *Monumenta Hofbaueriana* VIII 96-97.

(23) *Acta integra Capitulum generalium* C. S. R. 255-256 n. 587.

(24) *Ibidem* 271-272.

(25) *Ibidem* 272.

(26) *Ibidem* 272.

(27) *Ibidem* 282.

(28) Cfr E. HOSP, *Erbe des hl. Klemens Maria Hofbauer. Erlösmissionäre (Redemptoristen) in Österreich, 1820-1951*; Wien 1953, 258-259.

tantum est de rectoribus et vocalibus, ut modo diximus, tum quia in actis agitur de pluribus Capitularibus Transalpinis absentibus, non vero de P.e Passerat absente (29).

III. Inquiritur qualem auctoritatem habeant duae pagellae, quae in libro cui titulus « Acta integra Capitulum generalium C.S.S.R. », primo loco tamquam acta Capituli inscribuntur.

Ut ordinate procedamus, prius documenta, quae de hac materia in Archivo generali inveniuntur, inspiciamus. Ibi adsunt :

1. *Atti del Capitolo 1802*. Originale, a Capitularibus et in fine a P.e D. Nicola Mansione, secretario Capituli, manu propria subsignatum (30).

2. Copia authenticata actorum Capituli 1802 (31).

3. *Atti del Capitolo generale* (32). Copia non authenticata, quae subscriptiones Capitularium non habet; ei adiunguntur duae pagellae, quae etiam « Atti del Capitolo » vocantur. Copia haec invenitur typis impressa in *Acta integra* pp. 192-204, quam praecedunt duae pagellae adiunctae pp. 191-192. Ad hanc copiam P. Böhrel, olim archivista generalis, notavit : « non est omnino conformis originali ».

Originale vero actorum et copia authenticata non inveniuntur in *Acta integra*, quare in proemio huius libri non recte dicitur, ea quae ibi pp. 191-204 leguntur, apographum authenticum esse.

Iam transeamus ad accuratam inspectionem pagellarum adiunctarum.

Non inveniuntur in originali neque in copia authenticata, sed additae sunt copiae non authenticatae, quin ab initio unum totum cum ea efficerent, quod ex eo patet, quod paginae copiae seorsum consertae sunt, et longus titulus non iisdem verbis tam super pagellas quam super copiam invenitur. Origo pagellarum non nota est. Continent primo elenchum eorum, qui Capitulo intervenire debent (« i Capitolari che devono intervenire sono i seguenti »), deinde eorum, qui absentes fuerunt (« nel presente Capitolo sono mancati »).

Pagellae illae plures defectus habent :

1. Elenchus Capitularium completus non est. Desunt enim nomina Pasquale Lacerra Cons. gen. et vocalium domorum in Catanzaro, Tropea, Veroli, Frosinone, Gubbio, Spello. - Deinde numerus eorum, qui Capitulo interfuerunt, non concordat cum numero in originali : in pagellis numerantur 29, qui adesse debent, absentes erant 9, praesentes igitur 20; originale vero dat 24 praesentes (33).

2. Plures errores in iis inveniuntur, nempe : a) S. Clemens vocatur rector domus Varsaviensis, quod iam supra refutatum est. b) S. Clemens ius Ca-

(29) Cfr *Acta integra Capitulum generalium C.S.S.R.* 287.

(30) Archivum generale IV 42 a.

(31) Ibidem c.

(32) Ibidem b.

(33) *Acta integra Capitulum generalium C.S.S.R.* 204, quae ad hoc punctum concordant cum originali. - Grato animo addimus, omnia quae ex archivo generali C.S.S.R. allegavimus, a P.e Sampers, archivista generali, benevolentissime nobis esse communicata.

pitulo interveniendi habebat, quod etiam refutavimus. c) S. Clemens Capitulo interfuit. Hoc quidem non diserte dicitur, sed e dictis sequitur. Ipse enim numeratur inter eos, qui ius habebant Capitulo assistendi; non numeratur inter absentes; ergo praesens fuit. Supra exposuimus, Transalpinos non potuisse Capitulo interesse.

Conclusio: pagellae adiunctae auctoritatem officialem nullam, practicam minimam habent. Patet auctorem pagellarum adiunctarum de re non sufficienter sibi nota scripsisse.

Dolendum, quod compilerator libri *Acta integra* pagellas adiunctas sine adnotatione historico-critica prelo commisit et quod copia non authentica cum pagellis adiunctis « apographum authenticum » in proemio libri vocatur.

IOSEPHUS LÖW

DOCUMENTUM ADMISSIONIS ET CONFIRMATIONIS
IMPERIALIS ET ECCLESIASTICAE P. IS I. A. PASSERAT
TAMQUAM « SUPERIOR SUPREMUS »
CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS

IN STATIBUS DITIONIS AUSTRIACAE, Wien, 8/23 maii et 22 iun. 1822.

SUMMARIUM.

In priori fasciculo nostri periodici (*Spic.hist.* 1, 1953, 83-101) R.P. Ed. Hosp seriem documentorum producebat quo videri potuit quomodo gubernium imperiale austriacum, post mortem s. Clementis Hofbauer, primi Vicarii generalis Congregationis transalpinae, de persona successoris, P. is Passerat, indagationes a parte « publicae securitatis » perficere voluit, prius quam dictum Patrem in statibus austriacis admiserat et eum imperatori pro munere « superioris supremi = Obervorsteher » proposuerat. Cum enim a legibus, sicut tunc in omnibus quasi statibus mos erat, impediretur, quod religiosi cum superioribus maioribus extra proprium statum relationes et multo magis dependentiam haberent, « Vicarius generalis » alicuius superioris generalis italice in Austria impossibilis erat. Gubernium itaque imperiale tantum « Obervorsteher », id est Superiorem supremum pro ipsa sua ditione admisit.

Indagationes publicae securitatis, de quibus in citato documentario, finem habuerunt cum nominatione imperiali P. is Passerat tamquam « Superior supremus » Congregationis nostrae in statibus ditionis austriacae admissae (N° 1). Post hanc nominationem imperialem etiam auctoritas ecclesiastica, hoc in casu, curia archidioecesis de Wien, ex sua parte nominationem perfecit (N° 2).